

Q.K.514,8

X2005058

Ya  
4715

ORATIO  
de  
**ORDINE SCHO-**  
**LASTICO, IDONEO**  
**OPERARVM SCHOLASTICA-**  
rum Iudice & simul de viro  
Solidè docto.

IN

Solemi Dedicacione Illustris Gymnasy Eis-  
lebiani Illustrium & Generosor. Dn. Comit.  
Mansfeld. &c.

10. Novembr. Anni 1603. memoriter  
recitata.

à  
**M. ALBERTO GRAVVERO**  
ciusdem Gymnasi Re-  
ctore.

MAGDEBURGI,  
Apud Iohannem Francum.  
Anno 1605.

BIBLIOTHECA  
PONICKAVIANA



**AMPLISSIMO , CLARIS-  
SIMO AC CONSULTISSIMO VIRO DN.**

Andreae Tallingeri I. V. D.

ac

**ILLVSTRIS ET GENEROSI DN. DN. BRV-**  
nonis Comitis Mansfeldici & Nobilis Domini in Hel-  
drungen &c. Consiliario prudentissimo, Do-  
mino & amico meo singu-  
lari S.

**S**ed de ordine Scholaſtico Oratiuncu-  
lam, Vir Clarissime, dum monitis quo-  
rundam amicorum impulsus evulgo,  
multorum ſinistra iudicia quidem præ-  
video, nec tamen metuo. Nam nume-  
rò mihi in mentem fuit, ut cum comico  
loquar, rectè dictum:

*Omnes bonos bonasq; accurare addecet,  
Suspicionem & culpam ut ab ſe segregent.*

Sed non minus rectè ab altero responsum reor:  
Non potest utrumque fieri

*Ne admittam culpam ego sum meo promus pectori:  
Suspicio eſt in pectore alieno ſita.*

*Nam nunc ego ſite ſurripuiſſe aſpicer  
Iovi coronam de capite ē capitulo.*

*Quod in culmine aſtat ſummo, ſi id non feceris,  
Atq; id tamen mihi lubeat: ſuſpicarier*

*Qui tu id prohibere me potes, ne ſuſpicer?*

A 2

Qua-

Quaqropter cum eodem Comico ad eiusmodi sinistra  
iudicia respondeo ex Trinummo.

*Est, atq; non est mihi in manu*

*Quin dicant, non est: meritò ut ne dicant, id est.*

Hinc etiam fit, ut insperata s̄epe accidant magis,  
quemadmodum Plautus insigne illud, teste A. Gellio,  
linguae latinæ decus alibi inquit, quām quæ speres. Vo-  
lui aliis accuratius de rebus Scholasticis cogitandi oc-  
casionem præbere, quem finem si fuero assecutus, ac-  
quiesco. Si quis mihi aliam affingat mentem, & de se  
dicta forsan arbitretur, quæ dicta non sunt, ego imbe-  
cillitatis ingenii ipsius culpam præstare non possum.  
A culpâ sum liber, licet forte maneat suspicio. De ma-  
gnis Scholarum Germaniæ incommodis, quæ hoc  
octennio, quo in officio Scholastico vixi, observavi,  
& in Hungariâ & Germania, eisq; dextre amovendis,  
si Deus voluerit, alibi agetur. Sermo mihi est de Scho-  
lis in genere.

Tibi autem Vir clarissime, hoc quicquid est, inscri-  
bere volui, quia te amicum ac familiarem meum novi,  
cui pectus sapit. Edepol. ut ex Comico concludam,  
haud dicam dolo.

*Sunt quos scio esse amicos, sunt quos suspicor:*

*Quorum ingenia atq; unimis non possam noscere,*

*Ad amici partem, an ad inimici perveniant.*

*Sed tu ex amicis certis mihi es certissimus,*

*Si quid scis me fecisse insciè aut improbè,*

*Si id non accusas, tu ipse obiurganduses, scio.*

Vale, vive diu prospereque. Islebi, Anno 1603.

*T. Excell.*

*addictiss.*

*M. Albertus Grauverus.*

*Ita*

Ta est, ut dixti in concione hodiernâ  
de Scholâ Elisæi habitâ, Reverende,  
clarissime ac doctissime Dn. Superin-  
tendens, fautor & amice colende, ita est  
Magnifice, Nobilissimi, Amplissimi,  
Consultissimi, Reverendi, Clarissimi,  
Doctissimi atq; Humanissimi viri, multa sunt, quæ in-  
crementum Ecclesiarum ac Scholarum admodum im-  
pediunt. Nimium enim hic morbus mores invasit bo-  
nos: ita plerique omnes iam sunt intermortui, sed  
dum illi ægrotant, interim mores mali, quasi herba ir-  
rigua, ut insigne illud decus latine linguae, Plautus lo-  
quitur, succreverunt vberimè. Neq; quicquam nunc  
vile est, nisi mores mali, eorum licet iam messem metere  
maximam, ferè singuli plus inhiant opibus suis & di-  
vitiis, quàm ut Scholarum & Ecclesiarum emolumen-  
tum promoteant, nimioque nunc pluris faciunt pau-  
ciorum gratiam, pars hominum, quàm id, quod pro-  
fit pluribus: illud conducibile vincunt gratiæ, quæ in  
rebus multis obstant, odiosæ sunt, remoramq; faciunt  
rei literariæ, publicæ ac privatæ. Quapropter etiam  
multas res simitu in corde meo verso, multum in cogi-  
tando dolorem indipiscor, magisterque mihi exerce-  
tor animus me in mœrorem rapit, dum mecum per-  
pendo ac mente meâ revolvo, quantis cladibus ex nu-  
pero incendio Schola nostra vix non fuerit penitus va-  
stata, quantis difficultatibus pressa, quàm vario impe-  
tu concussa. Quid enim mali, quæso, Scholæ nostræ,  
cuius regimen ante quadriennium mihi fuit legitimè  
commissum, non accidisse opinaris? cuius ædificium  
igni rapidissimo deflagavit, cuius alumni hospitiis ac

sustentatione necessariâ destituti, hinc inde sunt disper-  
si, cuius plurimi præceptores eiusdem ignis violentiâ  
non leviter læsi ac turbati, cuius ordo convulsus, cuius  
ob id malum tot tantæq; miseriæ, adversitates ac in-  
commoditates fuere, ut vix faciem Scholæ ad tempus  
repræsentare videretur. Hæc quamvis memoratu sint  
dura, ut cum Comico loquar, omnino tamen ut pate-  
at nos causam lætandi Dæoq; gratias agendi non exi-  
guam habere, cum Scholæ nostræ ædificium plurimâ ex  
parte sit refectum, dicenda sunt.

Gratias itaq; primùm agimus Dæo ter. Opt. Max.  
qui rursus locum Musis aptum ex merâ suâ misericor-  
diâ nobis concedere, mediaq; idonea ad Scholæ ædifi-  
cium reparandum suppeditare voluit.

Gratias etiam agimus Illustribus ac Generosis  
Dominis Comitibus Mansfeldicis omnibus & singu-  
lis, Dominis nostris clementibus, quod suâ etiam pa-  
ternâ curâ huic salutari ac pio negotio deesse nolue-  
runt.

Gratias denique agimus omnibus iis, qui liberali  
suâ beneficentiâ ac beneficâ liberalitate, precibus, con-  
siliis, auxiliisque hoc pium opus sedulò promoverunt,  
rogantes æternum patrem Domini nostri Iesu Christi,  
ut nostram hanc Scholam clementer conservare ac ab  
omnibus malis, periculisq; protegere velit.

Hic subsistere poteram, Magnifice, Reverendi,  
Amplissimi, Clarissimi, Consultissimi viri, nisi me  
præsentis temporis ratio, ut longius progrediar, invi-  
taret. A Equum enim arbitror nec inconveniens, si no-  
vum hospitium Musarum nostrarum salutantes de or-  
dine Schola stico quædam in medium protulero, non  
quod omnia, quæ quidem dici possunt de materiâ hac  
ampli-

amplissima, attingere velim, id enim modum orationis excederet, sed quæ maximè ad rem facere videbuntur, breviter delibabo: quod dum conor, à vobis, auditores lectissimi, leniter dictis bonis præcariò hoc peto, vnd iusti & æqui hīc omnes sitis arbitri, & mihi vobiscum impolitiore minusque comta oratione agenti, ignoscatis. Tanta enim de re, neque satis me commoda dicturum, neque graviter declamaturum, neque eruditè & ornatè oraturum, non sum nescius. Etenim commoditati imbecillitas ingenii, gravitati ætatis defectus, eruditioni inscitia impedimento est. Verùm onus, quod sustuli, si benevolentia & æquanimitate parum allevabitis, hoc opprimi me non patiar, sed quod suscepī perferre conabor. Atq; hæc sunt quæ Musicos imitatus proaulii loco, ut Philosophus in 3. Rethoricon rum ad Theodecten appellitat, præfatus sum. Quare cunctis remotis ambagibas, ne in ipsis carceribus de metâ hallucinemur, ad quam acceleramus, de ordine Scholastico dicere exordior.

Dicam autem de præceptoribus & discipulis. Et cum ut plurimum culpa in præceptores transferatur, quando discipuli præfixam eruditionis metam non attingunt, non abs re fecero, si veraseius rei causas aperuero, simulq; sinistrū quorundam de hac re iudicium profligavero. Est autem id nimis varium & ferme infinitū, imò sæpius iniquissimum. Quis enim hodie ad eō inceptus & stolidus, quin aliquando sapientiæ præcepta Scholæ præfectis dictare dubitet? quis ita dissolutus in virtute & moribus, quin se censorem & magistrum disciplinæ scholasticæ nonnunquam profiteatur? nullibi liberiora imò & acerbiora iudicia: nullibi plures occurunt iudices. Videas hīc fartores, fartores, futores, lanios,

nios, coquos, pescatores, mercatores, rusticos, cives,  
doctos, indoctos, videoas h̄ic Theologos, videoas Iuris-  
consultos & cauſſidicōs, videoas Medicos & Philoſo-  
phos, & quos non? omnes liberē h̄ic & impunē iudi-  
cant, omnes promiscuē hoc tribunal conſcendunt, nec  
quisquam eſt, qui ſuum iudicium, tanquam minus dex-  
trum & accuratum reſcindi patiatur. Omnia ſe pulcrē  
ſcire ſimulant, quæ ordinem ſcholaſticū decent, cum  
tamen plurimi illorum nec quicquam ſciant, nec quid  
diſtent æra lupinis, ut Poëta loquitur, diſicerint. Indo-  
cti enim unde ſcirent? quippe illi iniqui iudices lite-  
ras & ius neque norunt neque tenent: illorum itaque  
iudicium qui probaverit, cæcis de coloribus iudicium  
permittet. Quām temerē igitur hoc hominum genūs  
de diſcentium proſectu ſententiam ferat, quām iejunē  
præceptorum ſæpè vel negligentiam & inſcitiam obii-  
ciat, quām inſcite & inſulfè de puerorum informatio-  
ne deblateret, vel hinc cuivis maniſtum eſſe po-  
terit.

Sed hos mitto, quos à ſanioris iudicii hominibus  
in ſenatum literarium non admitti ſcio. De doctis  
maiore eſt diſcultas, ægrè enim quisquam, qui ſe do-  
ctum profitetur, ab hoc iudicio excludi volet. Nec meā  
opinione quoſvis viros verè ac ſolidè doctos arcendos  
puto: cum enim indocti id præſtare nequeant, meritò  
doctis committendum erit, niſi quis ordinem ſchola-  
ſticū, nullius ſubiectum iudicio, ineptè аſſeverare  
voluerit.

Verūm antequam ſententiam ultimam feram, ſo-  
lidè doctum vivis prius coloribus delineandum reor,  
vel propterea quod vir doctus eſt ſoboles & fructus  
” quidam ſcholarum: mirum namque quam variè  
” hunc

hunc & falsò interpolare, quāmque diversis hodie hoc  
augustissimum & illustrissimum nomen immeritò af-  
singere soleant. Vulgus etenim hominum huius no-  
minis valorem ignorans, cuilibet vel parum literis  
tincto id attribuit, eosq; qui vix tria aut quatuor ver-  
ba latina proferre possunt, doctos appellat. Alii qui  
oculatores cæteris haberi volunt, ac plus fani iudicij  
sibi arrogant, complurium linguarnm peritos, ac im-  
primis eos, qui latina & græca carmina componere  
norunt, ultra verò non sapiunt, hoc honore dignantur,  
quos et si nequaquam contemnendos censem, non  
tamē eos idcirco solidâ eruditione, vel saltem erudi-  
tione propriè sic dictâ excellere dixerim, cum lingua-  
rum, veluti ancillarum ministerio, tantūm sapiens &  
vir doctus utatur.

Ac ut plenius planiusque illi, qui laudem erudi-  
tionis in cognitione linguarum collocant, quid velim  
percipient, quæsiverim ex illis, quo differre existiment  
Aristotelem doctum, ab rustico græco indocto? uterq;  
loquitur græcè: quo item Ciceronem doctum, ab ru-  
stico latino indocto? uterque loquitur latinè. Dices  
forsan, illos elegantius, hos verò barbarè loqui: idcir-  
co illos doctos; hos indoctos. Ridiculum: magis &  
minus, ut loquuntur Philosophi, non variant speciem,  
Non enim quòd hæc aqua magis est calida, illam frigi-  
dam esse oportet: utraque enim est calida: nec civem  
Teutonicum idcirco doctum quis afferet, quod puriori  
idiomate Germanico, quām rusticus, utitur.

Sed scio, quid sis responsurus: neminem sine co-  
gnitione linguarum solidam eruditionem consequi  
posse. Audio: verūm quid miraculum illud mundi, ut  
à commentatore in Prologo 1 & 8. phys: appellatur,

B

Aristo-

Aristoteles, quem teste Alberto lib. 3. de anima natura posuit regulam veritatis, & in quo summam intellectus humani perfectionem demonstravit, nonne solidè doctus, & tamen Romanæ linguae ignarus? at Græcus, inquies, fuit. Rectè fuit; sed ex usu, ut nos Germani sumus; non ex arte: lingua ipsi erat vernacula. Latinus autem non fuit, quod sufficit. Nonne Persæ omnim doctissimi & tamen utriusque linguae Græcæ ac latinæ ignari. Quid dicam de oculatissimo illo Philo-  
pho Averroe? Nonne satis doctè philosophatus est lingua Arabicâ? nonne doctissima opuscula Philosophica & Medica Arabicè conscripsit, quæ tandem ab alio in Romanum sunt conversa sermonem? En Arabem doctissimum Graii sermonis prorsus ignarum? nonne Teutonicâ lingua satis eruditè de materiis gravissimis ac difficilimis differere & disputare possumus & en virtum doctum absq; linguis, Græcâ nimirum ac Latinâ. Vicissim monstrò linguas, in rusticis græcis & latinis, ut non dicam de nostris hominibus, quos philologos appellant, absque eruditione, quæ non in verborum; sed rerum scientia consistit. Sed esto: demus illis hoc ex magnâ liberalitate, sine linguarum cognitione eruditionem haberi non posse, quod tamen simpliciter ob allatas rationes non concedimus, nec tamen sci-  
entia linguarum eruditio erit: via enim non est meta,  
licet beneficio viæ metam attingam: nec malleus est  
clavus, licet malleo faber veluti instrumento clavum  
conficiat.

Et ut summatim dicam: servus ne sumat sibi honorem Domini, nec ancilla sit hera. Cuperem etiam audire ex illis, cur non & hos augusto hoc nomine insigniant, qui Italicum, Vngaricum, Hispanicum & Gallicum,

licum, seu Celtarum sermonem callent? nonne & hi  
tibi viri docti videntur? negabis: recte: Sapientia e-  
nīm non in ore; sed in mente. Cur illos igitur in eru-  
ditorum classe collocas, qui Romanam & Græcorum  
linguam addiscunt? num forsitan quod sapientia & ar-  
tes in his, non in illis linguis sunt scriptæ? rem acu-  
tetigisti: hoc volebam. Vides itaque opinor, aliud esse  
sapientiam vel eruditionem, aliud eius ministrum ac  
famulum seu instrumentum. Vbi noto: linguas  
nempe Græcam ac Latinam instrumenta quidem esse  
veræ eruditionis; sed minus primaria, & quidem, ut  
Dialecticè loquar, accidentaria, vel etiam nostri tan-  
tum respectu, quibus neutra lingua est vernacula. Ari-  
stoteli Romanus sermo ad eruditionem comparan-  
dam nequicquam proderat, nec ipsius ignoratio obe-  
rat. Quod si sapientia & artes aliis linguis essent con-  
scriptæ, addisceremus; has verò minus curaremus.  
Est quidem donum linguarum donum DEI; sed ta-  
men propterea non in iis eruditio consistit, nisi &  
in artibus Mechanicis & aliis DEI donis ineptè eru-  
ditionem collocare velis. Non succensibis itaq; mi-  
hi, si sanus es, quod his, qui linguas tantum norunt,  
vel carmina etiam Græca & Latina conscribere di-  
dicerunt, ultra verò non sapiunt, laudem veræ &  
solidæ eruditionis non tribuo. Non minus à vero  
aberrant, etsi ad rem aliquid proferre videntur, qui  
doctos nuncupant, levi aliqua Philosophicarum dis-  
ciplinarum ac superioris alicuius facultatis vel The-  
ologiæ, vel Iuridicæ vel Medicæ cognitione imbū-  
tos, qui que vel suorum præceptorum pronuntiata, vel  
etiam aliorum autorum sententias ac opiniones com-  
memorare norunt, atque in iis tanquam in oraculis

Apollinis acquiescendum putant, etiamsi eius, quod dicunt, veras rationes ignorent: hi sunt, qui, ut Scaliger loquitur exer. 249. sect. 3. in superficie atque supinitate, quam ipsi vocant simplicitatem, intellectum contemplationis nostrae finem posuerunt: Quos si solidis aggrediare argumentis, eorumq; opiniones præconceptas impugnes, aut magis muti erunt, quam pises, aut altercationes tibi obiciant (si enim eruditas disceptatioes, sine quibus teste oculatissimo Scaligerio, tam non elicetur veritas, quam non sine collisione lapidum ignis) aut à præceptorum aliorumque magni nominis autorum sententia latum unguem discedere nefas esse clamabunt. Verum quidem est, præceptores tanquam parentes sanctè colendos: sed & hoc verum, veritati eosdem esse postponendos. Δόξας δὲ τῆς θελτιορ εἶναι, inquit Philosophus, lib. I. Ethic. cap. 6. καὶ θεῖν επὶ πάσῃ φύσει τὴν ἀληθείαν νοῦς τὰ σκέτα ἀναγεῖν, ἀλλωσ τε καὶ φίλος φύσει ὄντας, αμφοῖν γάρ φιλοιρ ὄντοιρ ὅσιοιρ πεσοτιμῶν τῶν ἀληθεῶν.

Sed ne vestrâ benevolentîâ, magnifice, Nobilissimî, Reverendi, Amplissimi, Clarissimi, Doctissimi que viri, me abutriure quis dicat, compendio utar. Quæres: quem tu igitur doctum existimas, si hi solide docti non sunt. Dicam: quem Stagirites Philosophus libro I. Metaphys. sapientem. Sapiens autem Aristoteli est is, qui rerum primas & proximas causas aptè assignare, ex iisque veritatem elicere novit, ac certiorem habet scientiam aliis, eo quod habet notitiam ex primis, ex quibus certitudo in scientiis oritur. Et ut verbo dicam: eruditus est, qui Philosophus: nam ut Iulius Cæsar Scaliger, qui ad miraculum usque fuit subtiliter doctus, & doctè subtilis exercitat. 274. de subtil: contrâ Cardan: inquit, non est sapiens, ideoque nec eruditus, qui

qui non profecerit philosophiâ, nisi quis sapientem dicere ausit eum, qui non profecerit in studio sapientiæ: « Dices igitur, me soli philosopho hoc augustum nomen ascribere? & soli, & non soli. Solum Philosophum dico doctum, eò quod non Philosophus non est solidè doctus, nisi quis sapientem absurdè pronuntiet eum, qui sapientiæ est ignarus. Nam quid aliud philosophia, quæ donum Dei, quam sapientia, & quidem sapientia hominibus à Deo concessa? nega, si audes. Si igitur quis absque philosophiâ verè & solidè doctus, absque sapientiâ quis erit sapiens, quod nemo nisi bardus & blennus dixerit. Theologus itaque non Philosophus non doctus, Iureconsultus non Philosophus non doctus, similiter & Medicus: iudicio enim quod, « teste acutissimo Scaligero, est anima sapientiæ & ratio animi reflexa caret: iudicio autem caret, quia discursu Syllogistico, quem sola suppeditat Philosophia, caret, sine quo nullum verum esse potest iudicium, nisi quis iudicium absque ratione esse posse stultè sibi imaginetur. Obiicies mihi Apostolos, qui simplices fuerunt pescatores. At frustra te illorum exemplo solaris: non manserunt simplices pescatores; sed illuminati sunt Spiritu Sancto immediate. Regeris: dona Dei sunt varia. Rectè: ob eandem causam nec quis sibi hoc donum, eruditionem nempe, quæ non cuivis à Deo datur, arroget vel attribuat, nec se quarumvis rerum iudicem constituat. Sed & non solum Philosophum dico doctum, quia & Theologi, Iureconsulti, & Medici sunt solidè ac non vulgariter, seu vulgi tantum op: nione, docti, si sint Philosophi. Sola enim philosophia modum rectè ratiocinandi per Syllogisticum

B 3

discur-

discursum, sine qua ratiocinatione nullum sincerum  
iudicium, præscribit.

At quorsum hæc? ut, quoniam scholarum finis &  
scopus est vir doctus ( pietatem præsupponimus ) vide-  
as, quæ & quot media ad hunc finem consequendum  
in scholâ rectè instituendâ requirantur, ut etiam de ve-  
ro ac idoneo operarum Scholasticarum iudice consta-  
re possit. Quemnam autem huic muneri præficiemus?  
virum non vulgaritatum opinione doctum: hic enim,  
ut iam antea diximus, est inceptus; sed solidè ac eruditè  
eruditum, eumq; non omnem, sed qui & scientiâ & ex-  
perientiâ pollet. At dices: quosvis etiam qualiter cunq;  
doctos admitti posse, propterea quod omnes in scholis  
sunt enutriti, & sic scientiam ac experientiam habere  
videntur. Non eo in tuam sententiam etiamsi rogatus:  
aliud est discere, aliud docere: aliud regere, aliud regi.  
Nam si experientia, sine qua artifex multotiens in ope-  
rando peccat, ut philosophor. Princeps lib. I. Metaphys.  
ait: in ulla arte exigitur, certè in operis Scholasticis  
maximopere est necessaria, quippe cum nullib; singula-  
rium, in quibus occupata est experientia, maior occur-  
rat diversitas, & docentium & dissentientium, & eorum  
quæ docentur. Hæc omnia & singula, qui non exactè  
noverit, & cum scientiâ experientiam iunxerit, certè  
non magis aptè is iudicabit de scholis, quam cæcus de  
colore. De rebus enim ignotis, ut dici solet, nemo po-  
test ferre sincerum iudicium. Aspice Theologum, fe-  
retne patienter ut Iurisconsultus non Theologus de  
controversiis Theologicis ac officio docendi Ecclesia-  
stico ex iure ferat sententiam? feretne patienter Iuris-  
consultus, ut Medicus de forensibus dimicationibus  
iudicet? feretne Medicus iudicem vel Theologum vel  
Iure-

Iureconsultum? Audietne futor sartorem? quare igitur hic quosvis ad tribunal scholasticum admittemus? dici alias solet: futor ne ultra crepidam. Habet nunc iudicem: habemus finem scholarum.

Restat ut media, de quibus iudicium ferri solet, attingamus: attingamus dico, nam prolixè & dignè ea velle persequi non est huius loci, non est huius temporis. Quapropter nec de omnibus mediis agam: nam sic & de modo docendi ac discendi, item de lectionibus dicendum foret, de quibus tanta est iudiciorum diversitas, ut nil supra: quidam susque deque habent, ut cum Comico loquar, quæ, quot, quales & qualiter lectiones proponantur, nihil referre dicentes, per quæ media ad metam acceleremus: Qui mihi videntur non considerasse illud philosophi lib. 3. Eth. cap. 3. ΒΥΛΕΥΟΜΕΘΑ ΔΕ, ΟΥ ΠΕΓΙ ΤΗΝ ΤΕΛΩΝ, ΑΔΙΑ ΤΩΣΙ ΤΗΝ ΤΡΟΣ ΤΑ ΤΕΛΗ, ΟΥΤΕ γάρ ιατρος ΒΥΛΕΥΕΤΑΙ ΗΙ ΉΓΙΑΣΑ, ΟΥΤΕ ΡΗΤΩΡ, ΕΙ ΖΩΙΣΑΙ, ΑΔΙΑ ΝΕΦΟΝΟΣ ΤΕΛΘ-Η, ΠΔΕ ΗΩΙ ΔΙΑ ΤΗΝ ΑΡΞΑΙ, ΣΚΟΠΩΣΙ. Non de fine; sed de mediis est consultatio. Quod si plura occurunt media, tum quibus facilimè & optimè, ut ibidem Philosopherus monet, finem consequi possumus, deliberatus. Sed de his hoc loco satis.

Venio ad præceptores, qui in primis vulgi & indoctorum, imò & multorum doctorum acerbis calumniis sunt expositi, quibus hoc seculo ferè nihil est vilius, & deinde addiscipulos. De quibus non prout dignitas postulabat, sed pro tempore ratione dicam. Duo potissimum hīc occurunt: informatio seu reetè docendi ac discendi ratio & disciplina. De illâ, quam crebri clamores, quam variæ querelæ; sed & quam graves calumniæ, discipulus si non proficit, nihil aliud audies, quam præceptoris vel inscitiam vel negli-

negligentiam: longius rarissimè prospiciunt. Verùm  
nimis ieiunè, imò inscitè ac insulscè iudicant, qui sic iu-  
dicant: non solum enim in præceptorem; sed & ad di-  
scipulum (sunt namque ex numero ἦν περὶ οὐκούνης ut loquitur  
Philosophus) respicere debebant.

” Verum est, in præceptore idoneo requiri iudici-  
” um, dexteritatem & facultatem docendi. Iudicium  
” quod à singulari eruditione promanat, eaque acuitur,  
efficit, ut è tantâ copiâ & veritate monumentorum ac  
præceptorum seligere utilia & ex utilibus necessaria,  
ex necessariis optimo ordine constituta proponere  
possit. Dexteritate & facultate ἐγγυώμενον præceptor  
præstat, ut quæ selecta sunt, paucis & perspicue præ-  
legendo tradat, familiaribusque exemplis illustret:  
” quam dexteritatem non nisi in naris emunctoriae inge-  
” niis invenire licet. Si qui iam præceptores his non  
sunt instructi, certè minus feliciter iuentutem do-  
cent, atq; propterea culpandi: nam pudeat eos, ut cum  
Tullio loquar, quod ita se literis abdiderunt, ut nihil  
possint ex his ad communem afferre fructum: Verùm  
magis culpandi sunt illi, qui eis hanc duram provin-  
tiam demandârunt. Ex parte vero dissentium plura ti-  
bi consideranda erunt, si veram causam, ob quam di-  
scipuli optatum eventum non semper consequantur,  
cognoscere volueris. Valet hīc primum principis il-  
lius Medicorum Hippocratis Aphorismus primus,  
Ἄριθμος βραχυς, ή δέ τέχνη μάκρη, δέ καιρός οξύς. Quapropter  
non sunt audiendi quidam maleferiati, qui præ aliis au-  
reos montes pollicentur, cum vix quadrans illis in arca  
sit, sequi que quamlibet artem faciliter labore ac brevi tempo-  
re disciplinæ suæ alumnis communicaturos magnifi-  
cè profitentur, interim adolescentiæ pro thesauris car-  
bones.

bones, pro veris rebus, meras viñbras ac nugaces nūgas obtrudentes. Perpendas etiam artes esse habitus, “ qui non nisi multis & crebris exercitationibus acqui- “ runtur.

Quapropter & viri docti flagitant in discente æta-  
tem: quid enim ætate alienā proficias? nam quamuis “ non ætate; sed ingenio adipiscitur sapientia, ut Comi- “ cus in Trinummo inquit; tamen ut idem ibidem ait: “ ætas sapientiæ condimentum; & sapientia ætati cibus “ est, & ut nihil de summâ negligentia discipulorum di-  
cam, quæ sæpiissimè labores præceptoris, alioqui salu-  
tares, planè irritos reddit, natura imprimis requiritur,  
quod & Flaccus Poëta intellexit, dicens:

Tu nihil invitâ dices faciesve Minervâ. Quid enim  
naturâ adversâ inceptes? nihilo sane plus, atque si tibi  
pedes gelu encerti sint, & cursu decertes cum alio. Qui  
igitur naturæ dotibus est orbatus, is quamvis ringitur  
& naturæ litem intendit, meliorem conditionem non  
reddit, ideoque vitæ genus sibi magis aptum & conve-  
niens eligat. Veluti si vires corporis cum ingenii viri-  
bus comparem, qui nullo robore membrorum est, is ab  
incide refugiat, cum ista malleorum pondera attollere  
non possit, nedum ut continuos dies ad ignes flammi-  
vomos, ut Maro loquitur, imbecillia brachia iactet, ut  
Brontes Steropesque & nudus membra Pyracmon. Re-  
liqua temporis ratione habitâ, sciens prætereo. Vides  
itaque quām insulsus sis iudex, qui mox præceptoris  
culpam assignas, quando discipulum pro nutu non  
profecisse animadvertis, cum pluribus modis in disci-  
pulo, quām præceptore, culpa residere possit. Si igi-  
tur quidam discipulorum laudabiles in literis progres-  
sus faciunt, præceptores iam iam sunt culpâ liberi: cæ-  
teri,

C

teri, quòd minus proficiunt, illi, non præceptores in  
„culpâ sunt. Et cum in omnibus discipulis non sit ea-  
„dem natura, idem ingenium, eadem memoria, eadem  
„deniq; diligentia, non r̄nirum, quod non æquè omnes  
„proficiunt.

Ad disciplinam Scholasticam accedo, quād dum  
quisque ferē suā naturā & iroque ingenio definit, nulla in  
re fibi satis fieri patitur. Invenias homines, quibus in  
bonos adolescentes fa & humanitas nimia indul-  
gentia est: quibus in improiores & contumaces se-  
veritas appellatur sævitia, crudelitas & Tyrannis.  
Et ut concludam, monente me tempore: calumnia,  
calumnia, inquam, nullib⁹ magis patentem campum  
habet, nullib⁹ frequentius sedem figit, nullib⁹ impu-  
nius grassatur ac sævit: à quo immani portento qui-  
bus armis te tucare? nullis, nisi summæ pati-  
entiae. Dixi, audistis, habetis,  
iudicate.



XXXV

IN SCH  
NAM, POS  
conflagratio  
lustra

ra

**E**Rgōne Vulcani p sœva furentis,  
Ut sacros Musis p eret illa lares?  
Perdere non potuit: quia perdere posse ne-  
gavit,  
Numina eæ cuius sunt capite orta,  
*IHOVÆ.*

Quin nova tecta illis reparanda fuere Deabus,  
Palladeq; & Phœbo præside digna magis.  
Nate Ihovæ summi, TV præses es artibus Vnus:  
His præes vt solus, sic quoq; semper ades.  
Rostra sine his, cathedræ, suggestus, pulpita frigent,  
Esse sine his hominum vita beata nequit.  
Isidis vrbis verbi lucem lux reddidit Orbi;  
Vagatum hæc sensit prima, LVTHERÆ, tuum.  
Quæ domus exceptit TE natum, immunis ab omni  
Circumcircâ igni prædominante, stetit.  
Mira loquor, sed vera loquor, mihi visa locutus:  
Vicinæ in cineres cunctæ abière domus.  
Statq; ea adhuc, cumq; Isidis vrbē ea stabit in ævum;  
Depositum verbi dum fovet alma sacrum.

C 2

Sed,

Iſiacosq; do-  
rege, atq; tege.

canet.

christophorus Cæſar Scholæ  
Halensis Rector.



Q.K.574,8

X 280 52



**Kodak**  
LICENCED PRODUCT  
Black

© The Tiffen Company, 2000  
**KODAK Color Control Patches**

3/Color  
White  
Magenta  
Red

Yellow  
Green  
Cyan  
Blue

8  
7  
6  
5  
4  
3  
2  
1  
Inches  
Centimetres